Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars I.
Wien, 1793 Seite 479
Quelle:
Copyright:

lis ſermo et omni acceptione dignus &c. Neque hic Patrum uſus nominatim, ſed perpetuus Scripturarum Cento. In *Serm.* tamen *Penitentiali fol.* 170. *Gregorium* citari video.

III. *fol.* 195. p. 2. *De mundi principio.* Initium: *Quando factus eſt mundus in initio creaturarum dei. in quo die in diebus menſis et in quo die in diebus ſeptimane. et in quo anno et in quo tempore. ſi in die an in nocte. et in qua hora interrogamus.* ℞. *In equinoctio et die dominico et in communi anno ſecundo in ogdoade et in prima hora creatus eſt* &c. Atque ita deinceps de ratione Menſium, dierum, horarum &c. Diſcipulorum Inſtitutio eſſe videtur; praemittitur enim inſcriptioni ſupra adductae: *Tribus premiſſis magiſter de hiſtoria tractat.* Quae vero illa *tria*, aut quis *Magiſter?* Eruditione certe inferior *Beda*, *Iſidoro*, *Alcuino* et *Rabano*, ut ex iis patet, quae de Appellatione Menſium apud *Romanos* adfert, ubi *Numam pamphilium et Zingium duces* legas.

IV. *fol.* 202. p. 2. et deinceps Rubricae: *de menſis et eſcis. De potu. de Vaſis eſcariis. De Vaſis coquinariis.* Et miro nexu: *De hereſibus chriſtianorum.* Depromta ſunt haec, quamvis tacito Autore, ex *Iſidori Hiſpal. Originibus*, et quidem Rubricae IV. priores *Libri* XX. *Caput* I. II. III. IV. et VIII. conſtituunt; ultima vero *Libri* VIII. *Caput* V. Sub initium C. I. Noſter rectius legit: *Accubitum a cibo vocatum quaſi ad cibitum epularum*, ubi Editio Breuliana *ad cubitum epularum.* C. ult. *Aerianos* Haereticos probe ab *Aetianis* diſtinguit, quos utrosque *Breulius Aetianos* fecit. Sed et reliqua conferri merentur.

CLXXII. VIII. F. 5

Codex membraneus lat. Sec. XV. Folior. 64. 4. per duas columnas minute exaratus, rubricis diſtinctus, aevoque ac uſu ſic ſatis adtritus hoc Rubro eſt: *Incipit Morale compendium figurarum biblie editum a fratre Anthonio de Janua* —. Praefaminis initium: *Religioſis in chriſto dilectis ſtudentibus neapolitani conuentus fratrum heremitarum ordinis ſancti auguſtini frater antonius Rampologus* (de Rampigollis, Ampigollis &c.) *de ianua ordinis memorati ſalutem* &c. *Dilectioni veſtre conferens poſtulata* &c. prout in Exemplari manco, quod *Cod.* CLXXIX. indicavi. Praeſens integrum eſt, finitque in Titulo *de X^to.* his verbis: *Mundus inquit aduerſus deſertores ſuos. Explicit morale compendium. Incipit tabula.* Haec tamen magnam partem extrita eſt. Iis, quae ad *Cod.* memoratum dixi, addo, ſub diverſis titulis, quibus *Codices* et Sec. XV. *Editiones* inſignitae ſunt, *Biblia Aurea* lat. et germ. *Repertorium*, *Reportorium*, *Reportatorium Biblie aureum*, *Figurarum Biblie compendium aureum*, *Introductorium in biblie Hiſtorias figurasque* idem omnino Opus eſſe, atque a noſtro 461